



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**


**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De Iudice.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

30. *Cerò scio non impendi gabellam in rem, ob quam imposta*  
*teueor ne adhuc soluere? Non teneri affirmat Fillucius.*
31. *Tenentur ne ad gabellam poenam soluentes: Non teneri*  
*dem Fillucius docet. Affirmo teneri, quando in conscientia*  
*eorum id relinqueretur.*



EXAMEN VI.

De statu seculari circa materiam de Iudice,  
Teste, Reo, &c.

CAPVT PRIMVM.

De Iudice.

1. **P**otesť ne Iudex sine competenti potestate iudicare? Equidem competens potestas in iudice requiritur. Ideo vsurpatione iudicij omnes illi peccant, qui iudicant eum, qui non est vel absolute eorum subditus, vel non in iis causis, in quibus eum iudicant. Que quidem vsurpatione iudicij ex suo genere mortale peccatum est.
2. *Impedit ne excommunicatio iudicium? Non, nisi denunciata sit, vel ex publica Clerici percussione procedat.*
3. *Crimen quos ipso iure priuat titulo, annullat ne iudicium? Non, dum priuatio ea occulta sit.*
4. *Valida ne sunt acta à iudice habente titulum coloratum? Ita quidem. Nec tantum id verum puto de iudice ordinario, verum etiam de delegato.*
5. *An iudicia per tyrannidem nulla reddantur? Minimè; peccat tamen tyrannus vsurpando sibi iudicium. Monuerim sermonem esse de tyranno quoad vsurpationem potestatis, non quoad vsum tantum regiminis.*
6. *Reum legitime <sup>convictum</sup> rogatum priuata scientia iudex nouit innocentem: potest ne eum morti admittere? Tentandæ omnes viæ, vt eum liberet. Quod si non sufficiat, ex duplici sententia, altera asserente, quod condemnare possit: altera, quod non possit, sequi potest quam maluerit, vtrunque enim probabilem iudico.*
7. *Quid in praxi? Ea ineunda ratio erit, vt si iudici magno damno sit, officio esse priuatum, non teneatur deponere, sed condemnare possit, si modò ante superiorem iudicem adcat, & protestetur de innocentia; si verò non magnum incommodum*



commodum sequatur iudici ex officij depositione, tunc deponat, & ab innocentis eade absteineat.

8. *Potest ne reus aut non auditus, aut ex privata sententia condemnari?* Minimè planè siue ab inferiore, siue à superiore iudice, qui iuxta allegata debet iudicium ferre. At si Respublica eiusmodi potestatem det, posset Princeps ex privata scientia condemnare. At non auditum & non citatum nec Princeps condemnare potest ordinariè.

9. *Iuxta quasnam leges iudex debet iudicare?* Iuxta eas, quæ ius naturale contineant: & eas, quæ positivum ius respiciunt nec legi naturali, aut Diuinæ repugnant.

10. *Quotnam vijs contra delicta procedi potest?* Tribus, Accusatione, Denunciatione, Inquisitione. Praxis tamen tribunalium duos tantum modos usurpat ex officio, & ad instantiam partis. Porro inquisitio triplex, omnino generalis, omnino specialis, & mixta. Ad generalem prævia infamia necessaria non est, in ea interrogati occultos criminosos manifestare non debent. Si delictum manifestum sit, iudex inquirere potest generaliter, quis author fuerit: nec reus socios, nec interrogati veritatem fatei tenentur. Specialem præcedere debet infamia, & eiusmodi consuetudo rationabilis censenda est, modi autem inquisitionis faciendæ plures sunt. Indicia dicuntur ea quibus author delicti cognoscitur. Semiplena sufficiunt ad torturam.

11. *Si nihil reus confessus sit potest ne sapius torqueri?* Non nisi gravissima essent indicia. Post tertiam autem vicem amplius torqueri non potest.

12. *Quid si iudex ordinem iudicij non servet?* Ad restitutionem tenetur, nisi alia via iuridicè damnari potuisset.

## CAPUT II.

### *De Accusatore.*

13. *Q*uid est Accusatio? Delatio rei de crimine in libello accusatorio, ad publicam vindictam facta. Eius solemnitas tribus continetur. 1. Ut fiat in scriptis, sufficit tamen verbalis ex consuetudine. 2. Ut in libello exprimanur nomen accusatoris & accusari. Species delicti, locus & tempus. 3. Inscriptio delicti. Porro fraternalis admonitio plerumque necessariò præmittenda non est.